

crucis sublatum maluit Diodorus l.2. Obtruncatum à Tomiri Regina referunt Herodotus, Justinus l.1. & Valerius l.9. cap.10. Quam etiam feminam præcisum viri caput in vase sanguine pleno demergentem simul illud effatam dicunt: *Savia te sanguine, quem tandem stisti.* Spiculo vulneratum narrat Ctesias l.11. in prælio cum Derbice; quo accepto vulnere post triduum interierit. Alii alia malunt.

Frustra lectores conciliari à nobis varias hæc opiniones expectarent; frustra enim moliremur. Præstat eorum, quæ de Cyro referuntur, partem rejecisse, ut reliqua adpotentur. Quæ certiora & seligenda videntur, hæc arbitramur. Seriem trium Regum Chaldaeorum Babylone regnantium exhibet Scriptura; videlicet Nabuchodonosor (b), Evilmerodach (c), Balthasar (d). Darius Medus (e) Balthasarem excepit, Cyrus Darium sive Astiyagem (f); ambo enim hæc nomina simul confundenda ne ambigimus quidem. Darium habet Textus Hebræus, Astiyagem Græcus Danielis.

Porrò Astiyagem alterum sanè fuisse oportet ab alio ejusdem nominis, patre Amyit & Mandanis, & avo Evilmerodachi & Cyri; quando enim Nabuchodonosori ejusque geminis filiis non nisi 45. sive 50. Regni annos simul tribueremus, (neque enim minores possumus) (g), oporteret Astiyagem Ninivæ obsidionem suscepisse 12. annis natum; namque post 50. annos, cum etatem ageret 62. annorum, Balthasari successit (\*). Hæc autem dubio procul falsa sunt; cum eo tempore filiam haberet nubilem, quam Nabuchodonosori elocavit. Oportet igitur alium Cyaxarem Xenophontis admittere filium Astiyagis & avunculum Cyri. Cyaxarem hunc, quem nos Darium Medum appellamus, successisse constat Balthasari, Cyri in Regno Babylónico decessori.

Seriem Regum post Nabuchodonosorem, in Beroso & Megasthene suspitionis arguitur, ex illo Scriptura, Jerem. 27. 7. de Nabuchodonosore: *Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terra ejus, & ipsius.* Evilmerodach satis è Scriptura innotescit (h), quem totius historiæ prophane consensus filium tribuit Nabuchodonosori (i). Balthasar filius etiam ejusdem Regis appellatur, scilicet nepos ipsius, juxta Scripturæ phrasim (k). Legimus 2. Par. 36. 21. *Si quis evaserat (ex Judæis) gladium, ductus in Babylonem servavit Regi & filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum.* Nullum suppetit documentum, quo Nabonidem sive Labyrinthum cum Balthasare confundamus; genus enim, & locus mortis Nabonidi nimis discrepat ab eo quod de Balthasare legimus in Daniele.

Si quis igitur retinendos censuerit Neriçlifforem, Laborosoardochum, & Nabonidum, ita potest historiæ Sacram, juxta Cl. Du Pin systema, conciliare (l). Nabuchodonosori post 43. Regni annos successor statuendus Evilmerodachus ejus filius, qui 2. integros annos, & tertii anni aliquod in Regno exegit. Ipsissimus est

b Dan. 1. & passim. c 4. Reg. 25. 27. & Jerem. 51. 31. d Dan. 5. 1. 30. 31. e Dan. 5. 31. f Dan. 13. 65.

g Regnavit Nabuchodonosor, quem admodum è variis Scripturæ locis colligimus, 43. annis. Nec minores quàm 5. sive 10. anni tribuerentur Evilmerodacho simul & Balthasari. \* Dan. 5. 31.

h 4. Reg. 25. 27. Jerem. 52. 31. i Beros. Megasth. & Polybist. k Baruc. 1. 12. Dan. 5. Sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbra Balthasar filii ejus.

l Bibliot. Historicorum 10. 2. pag. 812. 813. Gallicè.

autem Balthasar, non raro filius Nabuchodonosoris in Daniele 5. 11. 12. appellatus. Fulcit eam conjecturam, quòd Evilmerodachi nomen nusquam legitur in eodem Propheta. Is occisus à Neriçliffore fratre uxoris suæ Regnum proditori permisit, qui 4. annis regnavit. Potest etiam non incongruè Rex ille filius Nabuchodonosoris Magni appellari, cujus filiam duxerat. Laborosoardochus ejus filius regnavit 9. mensibus, quo conspiratione Optimatum Babyloniæ interfecto, ex conjuratis unus Nabonidus 62. annis senior, Babyloniæ ille quidem, sed origine Medus, filius Assueri sive Oxyaris Medi, Regno successus est. Idem vir Nabonidum audit apud Babyloniæ, Darium apud Medos, Lebynit apud Herodotum. Babyloniæ legibus Medorum & Persarum moderatus est, ac 17. annos in Regno exegit. Tandem Cyrus Imperium Babylonicum, adjungere sibi meditatus, expeditionem illam suscepit; atque post captas Susas procedenti obviam occurrit cum exercitu Nabonidis, commissio prælio victus Babyloniæ in arcem Borippum aufugit. Eo amoto, Cyrus Babylonem contendens, post expugnatam urbem rectà Borippum cum exercitu petiit. Nabonidis deditioem factà Caramaniam præfecturam à victore obtinuit. Ita Historia Sacra conciliatur. Cyrus verò eà expeditione confectà, dominium sibi totius Orientis adiecit, quemadmodum ipse de se in edicto pro Judæis lato, in hæc verba: *Omnia Regna terra dedit mihi Dominus [m].*

Cyrum excepit Cambyses savitiâ indolis & crudelitate nulli secundus. Non improspere eventu cum Ægyptiis conflixit; cui tandem Regioni in potestatem redactæ triennio imperavit. Sub hęc tempora partem copiarum duxit in Æthiopes, immisissique cum exercitu Ducibus diripiendum mandavit fratrem suum Ammonis. Sed ambo hæc bella infeliciter cesserunt; namque missas in Templum Ammonis copias arenæ turbo in desertis oppressit; quas verò in Æthiopes ipse ducebat, commeatuum penuriâ non sine ingenti suorum pernicie tandem reducere coactus est. Omnium in se horrorem crudelitatis merito provocavit, odium sceleribus, & contemptum amentia. Sororem, quæ unâ erat & uxor, nomine Meroe, interfecit, occidendum etiam mandavit fratrem suum Smerdim; ex Optimatibus quàmplures interemit; nec à Numinibus Ægyptiis abstinens, scomatata in ipsos plura, & indigna quadam jactavit. Tandem certior factus, Smerdim fratrem suum incolentem servari ac Babylone regnare iter in Regnum repetiit. Sed cum Ecbatana ad radices Montis Carmeli venisset, diem clausit extremum. Designari hunc Regem credimus ab Ezechiele 38. & 39. sicut & à cæteris Prophetis, nomine Gog. Principis Magog. Videtis nostram Dissertationem de eodem argumento.

Cambyse sublatum, Imperium invaserunt septem Magi, assumptâ Smerdis fratris Cambysis personâ credulis imponentes. Per hæc tempora Samaritani, quibus prosperè Ju-

m 1. Esdra 1. 2.

n 1. Esdra 4. 7. 16.

o Aggæ. 1. 2. 3. & 1. Esdr. 5. 1. p Vide Esdr. 1. 7.

q 1. Esdr. 7. 8. r 2. Esdr. 1. 11.

s 3. Reg. 3. 1. & 7. 8. t 3. Reg. 10. 28. 29.

u 3. Reg. 9. 16.

x 3. Reg. 11. 16. y 3. Reg. 19. 18. 19.

z Isai. 36. 6. Ezech. 29. 6. Isai. 2. Habac. 2. 15. Osee passim 7. & 8. & 9.

Judæorum res ingratae accidebant, gentem apud Magos accusarunt, atque obtento ab Arthaxata, ex illis uno, edicto, desistendum ab ædificatione Templi & munitione urbis mandarunt (n). Ita intermissum opus usque ad secundum Darii filii Hytaspis annum cessavit.

Tandem Magorum dolo comperto, Regnum ad Darium filium Hytaspis delatum est. Raptim hæc omnia delibamus, nihil enim habent cum historia Judæorum affinitatis. Rex ille agnita facultate, quam olim Judæi de restituendo Templo à Cyro impetraverant, opus prosequi (resumpserant enim momentibus Aggæo, & Zacharia [o], tunc temporis Jerosolymæ prophetantibus) permisit. Porrò Darius iste idem est ac Assuerus conjux Esther (p), qui meritum de Amano supplicium exegit. Illum excepit Xerxes, quocum nihil peculiare fuit Judæis. Artaxerxes post illum regnans, Hebræis plurimum favit; namque Esdræ prius [q], deinde Nehemiam in provinciam remisit (r), auctum restituendorum moenium facultate. Imperium Persarum longo etiam post tempore mansit: sed frustra & præter argumentum totam hęc Regum illius seriem duceremus. De Monarchia Græcorum satis egimus in Daniele.

S. V.

Imperium Ægyptiorum, quantum ad res Judaicas pertinet.

POSTquam ab Ægypto solum verterunt Hebræi, nullam deinceps retinuerunt communionem cum Ægyptiis usque ad Regnum Salomonis. Rex ille junctis connubiis cum filia Pharaonis (s), commercium etiam instituit inter utraque gentes equorum simul, & mercium (t); ex quo inter gemina hæc Regna convenire coeptum. Rex Ægypti captas à se Philistæorum urbes quasdam in dotem filia suæ Salomonis nuptæ assignavit (u). Sed laxari alquanto mutuum illud amicitia vinculum, Salomone adhuc in vivis agente, visum est, quòd Pharaon in sua regione excipiendum permiserit Jeroboamum filium Nabat (x), sicut & filium Regis Idumææ (y). Hęc divisionis semina in apertum tandem diffidum eruperunt sub Roboamo Salomonis successore, cum Sefac Rex Ægypti, ducto in Judæam exercitu, post directum Regium & Sacrum Ærarium prædâ onustus regressus est.

Labentibus Regnorum Israelis rebus, cum utriusque provinciæ Reges impares se contra vires Assyriæ & Chaldææ, quibus premebantur, sentirent, suppetias à Regibus Ægypti implorarunt: quod ipsis semper fatale accidit. Non cessabant Prophetæ exprobrare genti vanam illam, quam in Regibus infidelibus reposuerant, confidentiam [z]. Ezechias nullâ rerum suarum utilitate foedus inivit cum Sennacheribo Re-

ge Ægypti (a); nullâ Osee etiam Rex Israel cum Sua Rege Ægypti foederatus (b). Joasias Rex Juda transitum Necho Regi Ægypti, in Assyrios proficiscenti, interclusurus, commisso prælio ad Mageddo vulnere confectus occubuit (c). Post eam acceptam victoriam, Nechus urbe Cadyti ejus regionis munitissimâ, facillè eadem ac Cades in Galilæa, alio nomine Cedus Neptali, potitus est; productisque usque ad Euphratem armis Carchemisia in suam potestatem reducit præsidium reliquit. Redux deinde cum in Judæam venisset, amoto Sellum alio nomine Joachaz, quem ad solium Judæi extulerant, Eliakim, sive Joakim succedit, imposito etiam Regioni tributo (d).

Cum Præfecti Syriæ & Phœnicia à Rege Babyloniæ ad Regem Ægypti defecissent, Nabuchodonosor à Patre Nabopolassare Rege Assyriæ missus, primo statim impetu Carchemisiam, deinde verò totam latè regionem inter Euphratem & Nilum paternæ ditioni restituit (e).

Defuncto Necho paternum Regnum Pfammis ejus filius obtinuit, quod sexennio obtentum (f), tandem fato cedens, Aprie filio suo, in Scriptura Pharaoni Hophra sive Ephraon (g), reliquit. Hic juncto cum Sedecia, & Rege Chus foedere, in Nabuchodonosorem armavit. Interim Nabuchodonosor ducto in illos exercitu Jerosolymam obsidione cinxit; quam defensus veniens Ægyptius, repulsus ab adversario, iter in suam regionem vertere coactus est. Nec ibi diutius quievit, cum Nabuchodonosor, reductis in potestatem Jerusalem & Tyro, Ægyptum ingressus est, eademque regione captâ direptaque, ingentem captivorum Ægyptiorum prædam reduxit; quo tandem sua fides stetit Oraculis Jeremiæ, & Ezechelis (h). Aprie deinde ab Amasi amulo suo oppressus, vacuum illi Regnum permisit.

Jugum Assyriorum sub Nabuchodonosore cæterisque post illum ad Cyrum usque, sustinuit Ægyptus (i). Labentibus Cyri annis, dominationis extraneæ pertæsa, descivit, eique propterea reducendæ Cambyses validissimum armavit exercitum; cuius viribus impares Ægyptii in arbitrium victoris lævissimi simul & impotentis concedere coacti sunt. Rebellarunt iterum sub Dario filio Hytaspis; nec ab eodem Principe morte prohibito in ordinem redacti, Xerxis ejus filii potentiam senserunt (k). Quare iterum subiectis jugo cervicibus, iterum sub Artaxerse Longimano relevati sunt, sumptisque armis ac junctis fœderis societate Græcis, sexennale bellum sustinuerunt. Cedentes tandem, pristinis servitutis vinculis victas dederunt manus; & quamquam propriis parentes Regibus, Persas tamen dominos ad Artaxersem Ochum usque sustinuerunt. Ab illo quartò jam deficientes, non meliora tantum edocti, sed Regno penitus destructo, Ægyptus in Provinciam redacta est (l).

a Jerem. 44. 30. & 4. Reg. 18. 21. b Osee 7. 11. & 8. 13. & 9. 3. & 12. 9. Jerem. 2. 18. & 4. Reg. 17. 4. c 4. Reg. 23. 29. & c.

d 4. Reg. 23. 35.

e Vide Jerem. 45. & Antiquit. lib. 10. cap. 7. f Herodot. l. 2. c. 159. 160. 161. g Jerem. 49. 50.

h Jerem. 43. & 44. & 46. Ezech. 29. & 30. & 31.

i Xenophon Prol. Cyropad. & lib. 8. ejusdem.

k Herod. lib. 7. cap. 7.

l Diod. ad A. 3. Olymp. 107.